

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

Prot. N. 14498/82 V.T.

**Declaratio de recto modo procedendi
in declaranda nullitate matrimoniorum
successive initorum**

Ad hoc Supremum Tribunal notitiae quaedam et querelae perverunt de inepto modo procedendi nonnullorum tribunalium, quando de declaranda nullitate plurium matrimoniorum, quae successive ab eadem persona attentata sunt, agitur: v.gr. si qua pars acatholica, post divortium iam bis vel ter obtentum et compartibus adhuc viventibus, declarationem petit nullitatis ut novum matrimonium cum parte catholica inire possit.

Hic enim mos in aliquibus tribunalibus inolescit: oblata causa illius qui plura matrimonia unum post aliud attentavit, tribunal, vi can. 1060, praesumit validum matrimonium primo contractum; quare declarat nulla, ob impedimentum ligaminis, omnia matrimonia successive celebrata, quae, proinde, nulla retinentur ad omnes iuris effectus; deinde idem

tribunal videt de nullitate matrimonii primo contracti, et si huius nullitas declaretur, pars libera esse censetur ad novum matrimonium ineundum.

Alia quoque adducitur ratio ad praedictum modum procedendi sustinendum, scilicet impedimentum dirimens iuris ecclesiastici ortum ex matrimonii externa celebratione, vi cuius, probata nullitate matrimonii primo initi, matrimonium successivum adhuc pro nullo habendum esset.

Attamen hic modus procedendi in declaranda nullitate matrimoniorum successive initorum, nulla valida ratione sustinetur.

Praesumptio enim, iuxta notissimas iuris regulas, cedit veritati obiectivae. Quare matrimonium successivum, quod declaratur nullum ob praesumptam validitatem matrimonii primo contracti, nequit retineri nullum si postea nullum declaratur matrimonium primo contractum, nam ex matrimonio nullo oriri nequit verum impedimentum ligaminis.

Praeterea, de impedimento dirimente ligaminis iuris ecclesiastici, in externa matrimonii celebratione fundato et ab impedimento ligaminis iuris divini distincto, nullum vestigium in iure vel in probata doctrina reperitur.

Quapropter re mature perpensa,

Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal

cui competit « rectae administrationi iustitiae invigilare » (c. 1445, § 3, 1°) in Ecclesia,

declarat:

1. Denuntiatus modus procedendi in declaranda nullitate matrimoniorum successive initorum prorsus reprobatur.
2. Si quis plura matrimonia successive celebrata nullitatis accusat, hic adhibendus est modus procedendi: ante omnia inquirendum est de nullitate matrimonii primo initi; legitime probata hac nullitate, validum praesumendum est matrimonium quod proxime ei successit; si vero et huius deinceps nullitas probata fuerit, validum praesumendum est matrimonium proxime subsequens, et ita porro.
3. Si tribunal alium adhibet modum procedendi in declaranda nullitate plurium matrimoniorum successive initorum, Defensor vinculi tri-

bunalis quod declaravit nullitatem primi matrimonii, necnon quaelibet alia persona de re edocta denuntiare debet abusum Promotori iustitiae competenti, qui, ob rationem boni publici, tenebitur impugnare decisiones successiva matrimonia respicientes, necnon novum matrimonium deinde initum.

Datum Romae, e sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 18 iunii 1987.

AURELIUS Card. SABATTANI, *Praef.*

L ✠ S

✠ Zenon Grocholewski, *Secr.*